



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

Anno Undecimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

CV.

Declarantur nulla Deputatio Vicarii in Oppido Saorgio, aliisque locis Ducis Sabaudie subiectis per Episcopum Vintimilien., ejusque Provocatio ad d. Ducem, & Senatum Nicien. nec non horum Beneficium, mandatum, & Decretum, cum prohibitione exercitii Vicariatus, & præcepto illius revocationis.

Const. præced. declarata fuit nulla Deputatio Judicis, & Oeconomii in Abbazia S. Benigni. Et Const. ed. 1712. Jul. 9. P. 12. Declaratur nullum Decretum a potestate Saculari Nicien. super solutione ab Ecclesiasticis faciendam.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus Venerabilis Frater Carolus Maria Episcopus Vintimilien. die 8. Octobris proxime præteriti dilectum filium Præpositum Dominicum Carolum de Rubiolis in loco de Saorgio Vintimilien. Diocesis Jurisdictioni temporali dilecti filii Nobilis Viri Victorii Amedei Sabaudie Ducis, & Pedemontis Principis subiecto Vicarium in Partibus cum facultate non solum in dicto loco de Saorgio, sed etiam in aliis locis dictæ Diocesis temporali Victorii Amedei Ducis Jurisdictioni hujusmodi subditis justitiam in omnibus causis contentiosæ jurisdictionis ad Forum Ecclesiasticum spectantibus tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis, itaut ab illius sententiis, seu judicatis appellatio ad Curiam Episcopalem Vintimilien., aut ad ipsum Carolum Mariam Episcopum dari, dictorumque locorum incolæ, & habitatores ad dictam Curiam Episcopalem in prima instantia, nec etiam in gradu appellationis trahi nequeant, administrandi, nec non quoad ea, quæ voluntariam Jurisdictionem concernunt dispensandi, ac alia omnia, quæ immediata dicti Caroli Mariæ Episcopi cognitione non indigent, neque ab ordine, & Characterè Episcopali dependent, & consequenter primariis ad Christianissimum confessiones audiendas, divinique verbi prædicationem admissionibus, Beneficiorum Ecclesiasticorum Collationibus, Monitoriorum Concessionibus, ac iis, quæ ad Clericorum ordinationes spectant, & recognitionibus dispensationum matrimonialium exceptis, eidemque Carolo Mariæ Episcopo reservatis faciendi, & exercendi per suas patentes literas deputaverit, & constituerit. Et successive die 16. ejusdem mensis post apprehensam multo ante Ecclesie Vintimilien. possessionem supplicem libellum manu propria subscriptum dicto Victorio Amedeo Duci, ut illius beneficium, seu approbationem pro capiendis locorum prædictorum possessione obtineret, porrexerit, intuituque deputations Vicarii per eum sicut præmittitur factæ in eodem supplici libello ab ipso Victorio Amedeo Duce petierit, ut sequester super fructibus, & redditibus mensæ Episcopalis Vintimilien. in Dominio, seu statu ejusdem Victorii Amedei Ducis existens, attentare, & violenter appositum pro rata fructuum, & reddituum hujusmodi a die ipsius præfectionis in Episcopum dictæ Ecclesie Vintimilien., non autem tempore quo Venerabilis Frater Ambrosius Episcopus Lunen. Sarzanen. dictæ Ecclesie Vintimilien. antequam ad Ecclesiam Lunen. Sarzanen. prævia ipsius absolute a vinculo quo eidem Ecclesie Vintimilien. tenebatur a Nobis auctoritate Apostolica translatus fuisset, præerat, decursorum removeretur; ac die 18. ejusdem mensis a dicto Victorio Amedeo Duce non solum prædictum ejus beneficium, seu approbatio-

nem pro capiendis locorum possessione, verum etiam mandatum Senatui Nicien. in Oppido Oneliæ residenti directum pro quocumque impedimento removendo, ac dictis fructibus, & redditibus pro rata prædicta libere relaxandis obrinuerit, nec non in executionem mandati hujusmodi per suum Procuratorem apud dictum Senatum Nicien. institerit pro sequestri remotione, ac fructuum, & reddituum libera relaxatione hujusmodi, ac denique die 10. Novembris, etiam proxime præteriti rescriptum, seu Decretum desuper ad sui favorem a Præsidente, & Judicibus ultimarum appellationum nuncupatis in eodem Oppido Oneliæ residen. propter prædictam tamen deputacionem Vicarii, illiusque intuitu, & ratione reportaverit, & alias prout in literis deputacionis, supplici libello, rescripto, mandato, & Decreto prædictis, quorum tenores non approbandi sed penitus, & omnino reprobandi animo præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus plenius respective continetur. Porro dicta Vicarii deputatio cum prænarata facultate contra expressam mentem, & intentionem nostram, & postquam dicto Carolo Mariæ Episcopo tum indebitum prædicti Victorii Amedei Ducis Vicarium Generalem, vel alium Officiale, qui in dictis locis omnem Jurisdictionem contentiosam absque recurso, seu appellatione ad ipsummet Carolum Mariam Episcopum, & private quo ad illum, dictamque ejus Curiam Episcopalem, etiam in prima instantia exercere posset, deposcentis, præteritionem tum nostram præteritioni hujusmodi oppositionem significaveramus, facta fuerit, ac per eam dicta loca a Diocesi Vintimilien. fere separata, & a Jurisdictione prædicti Caroli Mariæ Episcopi non sine notabili rectæ administrationis Justitiæ, conservationis disciplina Ecclesiasticæ, & Divini Cultus præjudicio, quasi independentia remaneant, ac tam eadem Vicarii deputatio, & supplices libelli, & recursus per dictum Carolum Mariam Episcopum ad laicalem potestatem facti, quam rescripta, mandata, seu Decreta prædicta a Victorio Amedeo Duce, & Senatu Nicien. respective emanata, ut præfertur, Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum dispositioni adversentur, ac libertatem, Jurisdictionem, & immunitatem Ecclesiasticam manifeste lædant, magnumque dictæ Ecclesie Vintimilien., & Apostolicæ Sedis juribus præjudicium afferant. Hinc est, quod nos, qui libertatis, ac Jurisdictionis, aliorumque jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus Ecclesie prædictæ Vintimilien. dictæque sedis jurium hujusmodi indemnitati providere, ac tam gravibus, & scandalosis illorum læsionibus, quantum Nobis ex alto conceditur occurrere cupientes, ac omnium, & singulorum in præmissis tam a Carolo Maria Episcopo, quam a Victorio Amedeo Duce, & Senatu Nicien., aliisque supradictis per se, vel alios quoscumque quomodolibet actorum, & gestorum seriem, Causas, & occasiones, aliave qualibet, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene itidem, & sufficienter expressis ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine deputacionem prædicti Dominici Caroli de Rubiolis in Vicarium cum facultate prænarata a memorato Carolo Maria Episcopo factam, ac supplices libellos, ac recursus per eum ad laicalem potestatem habitos, nec non rescripta, mandata, seu Decreta desuper a laicali potestate hujusmodi edita, ut præfertur, aliisque omnia, & singula tam a Carolo Maria Episcopo, & Dominico Carolo,

ne, & Mandatum ad Senatum Nicien. pro remotione sequestri.

Decretum d. Senatus pro remotione sequestri.

Supra relata advertantur expresse voluntati Pontificis, a libertate, Jurisdictioni, & immunitate Ecclesiasticæ.

Declaratio nullitatis prædict. omnium cum eorumdem revocatione.

Dat. 3. Jan. 1711. An. 11.

Deputatio Vicarii in Oppido Saorgio, aliisque locis Ducis Sabaudie subiectis cum plenaria facultate an. 1710. facta.

Provocatio per Episcopum ad Ducem pro capiendis locorum, atque remotione sequestri super partem fructuum Episcopatus.

Beneficium Ducis pro capiendis d. possessio-

quam a Victorio Amedeo Duce, & Senatu Nicen. prædictis, seu eorum respective jussu, mandato, vel nomine ab aliis quibuscumque etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis in præmissis, & circa ea quomodocumque, & qualitercumque acta, facta, gesta, mandata, decreta, ordinata, vel dispensata, ac forsan in futurum (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda, & ordinanda cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & quodcumque securis, penitus, & omnino nulla, invalida, & inania, nulliusque roboris, & momenti, vel efficaciam esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore, tenore præsentium declaramus, & decernimus, illaque damnamus, & reprobamus, ac ad majorem, & abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu, itaut nullum unquam præjudicium etiam minimum libertati, jurisdictioni, & immunitati Ecclesiasticæ, aut Ecclesiæ Vintimilien., & Sedis Apostolicæ juribus prædictis inferre, vel alias nocere, seu intulisse, vel nocuisse quomodo dici, cæseri, prætendi, vel intelligi possint, penitus, & omnino vacuumus in omnibus, & per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, nec evenirent. Quo circa dicto Dominico Carolo in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis, & excommunicationis majoris, & privationis dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum per eum obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis pœnis districte prohibemus, & interdiciamus, ne irritæ, & invalidæ deputationis prædictæ vigore prætentum Vicariatum hujusmodi, aut ullam jurisdictionum potestatem, vel auctoritatem Ecclesiasticam in locis prædictis exercere, ullumque actum jurisdictionalem facere audeat quovis modo, seu præsumat; prædicto vero Carolo Mariæ Episcopo sub pena suspensionis ab exercitio Pontificalium, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ præcipimus, & mandamus, super publicum Edictum eandem irritam, & invalidam Vicarii deputationem, concessamque illi, ut præfertur facultatem statim, & incunctanter omnino revocet, ac in locum Vicarii hujusmodi alium Vicarium Foraneum cum facultatibus similibus Vicariis Foraneis concedi solitis, cum quibus ejusmodi Vicarius Foraneus in locis domini temporalis dicti Victorii Amedei Ducis alias ab Episcopis Vintimilien. ejus Prædecessoribus deputatus fuit, deputet.

Prohibitio Vicario facta, ne jurisdictionem exerceat.

Præceptum Episcopo factum, ut revocet Vicarii deputationem. & Vicarium Foraneum de ligat.

Clausula.

§. 1. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentiam, & dignitatis existant, & alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentibus emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili, individuumque expressionem requirente defectu, impugnari, infringi, invalida-

ri, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminentiam, & potestatem fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non prædictæ Ecclesiæ Vintimilien., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, etiam quacumque Ecclesiasticæ, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis, ac Ecclesiis, & locis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & locis sub quibuscumque tenoribus, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, & approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel offensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die III. Januarii MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Restituitur

CVI.

Restituitur Magno Magistro, & Congregationi quinque Fratrum Militum Hospitalis S. Joan. Hierosolym. jus super regimine trium Navium Bellicarum.

Erecta fuit d. Congregatio, & jus concessum Const. ed. 1701. Apr. 15. P. 1. Const. ed. 1706. Mar. 22. P. 6. concessa fuit facultas faciendi celebrari Missam in Navibus. Et Inn. XIII. confirmatur Breve Pii V. super concessione Privilegiarum.

Dat. 17. Jan.
1711. An. 11.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Describitur
erectio d.
Congrega-
tionis, & jus
ei concessum.

Alias pro parte dilecti filii moderni Magni Magistri Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Nobis exposito, quod ipse ad Christiani nominis Hostes, & Piratas, qui in illius dedecus, & Christianissimum detrimentum longe validioribus, quam antea Navigiis maria continuo infestabant, facilius propulsandos de consilio compleri ejusdem Hospitalis consensu quatuor novas Naves bellicas unam quidem suis propriis, alias vero tres dicti Hospitalis sumptibus construere, & manutenere deliberaverat, ac pro bono ipsarum Navium regimine idem Magnus Magister, ejusque consilium prædictum particularem quinque Fratrum Militum ejusdem Hospitalis ab ipso Magno Magistro nominandorum, & a prædicto consilio approbandorum, quorum unus dignitate Magnæ Crucis insignitus esse deberet, Congregationem deputandam esse decreverat: Nos supplicationibus dicti Magni Magistri, nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati aliam Congregationem eorumdem quinque Fratrum Militum sic deputandam ex tunc, prout postquam sic deputata fuisset, ac præarratum Magni Magistri, & consilii prædictorum Decretum auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus; Congregationi autem sic deputandæ prædictas tres Naves Bellicas private quoad omnes alios, itaut ipsa Congregatio prædicto Magno Magistro tantum subiecta esset, & absque eo, quod alia quæcumque Congregatio in Conventu dicti Hospitalis existens, aut alia quælibet persona, Officialis, vel Minister ejusdem Hospitalis sub quovis titulo, aut alicujus præminentia, vel prærogativa, etiam linguarum ipsius Hospitalis prætextu, sive quacumque de causa illi ullo modo intervenirent, aut quorumcumque per eam circa ipsarum trium Navium regimen, & gubernium disponendorum, & gerendorum participes fierent regendi, & omnino gubernandi plenam, & liberam facultatem eadem auctoritate tribuimus, & impertiti fuimus, & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 15. Aprilis 1701. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus plenius continetur.

Causa restituendi prædicti jus adversus non usum, & preces M. Magistri.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Magnus Magister denuo Nobis exponi fecit, licet dictæ tres Naves Bellicæ per memoratam Congregationem ipsi Magno Magno tantum subiectam private quoad omnes alios juxta facultatem illi a Nobis, sicut præmittitur attributam regi, & omnino gubernari deberent, ipse nihilominus ob quamdam urbanitatem consilium dicti Hospitalis super rebus majoris momenti dictas naves bellicas concernentibus, inter quas nominatio majorum Officialium habetur, semper consuluerit, ac desuper cum illius approbatione deliberaverit, progressu vero temporis experientia compertum fuerit, eam urbanitatem proponendi in consilio nominationem officialium a dicto Magno Magistro observatam, non solum bono regimini dictarum Navium non conducere, sed illud potius

perturbare non sine præjudicio auctoritatis ipsius Magni Magistri, & meritorum Fratrum Militum nominatorum. Nobis propterea dictus Magnus Magister, qui (ut asserit) non solum dicto Hospitali Navem bellicam prædictam, quam suis propriis sumptibus construxit, & manutinet, quantum ad lucrum attinet, cessit, & portiones prædictarum hætenus captarum ipsam tangentes libere donavit, verum etiam omnibus dignitatis admirati juribus ipsi occasione prædarum per armata particularium personarum navigia reportatarum competentibus in commodum ejusdem Hospitalis pariter cessit, humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur ipsum Magnum Magistrum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, particularem quinque Fratrum Militum Congregationem, sicut præmittitur, deputandam, seu jam forsitan deputatam, eundemque Magnum Magistrum, cui illa, sicut etiam præmittitur subiecta esse debet, adversus præmissa, ac non usum præarratæ facultatis private regendi, & omnino gubernandi prædictas tres Naves bellicas, in integrum & pristinum, ac illud, in quo antea quovis modo erat, jus utendi facultate hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Restitutio re-
laci juris.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon consilium prædictum, ac quævis Tribunalia ejusdem Hospitalis judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in literis prædictis concessimus non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Magni Magistri munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anno Piscatoris die XVII. Januarii MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Confirmatur Decretum Card. de Tournon Commissarii, & Visitoris Gen. in Sinacum, aliisque Indiarum Oriental. Regnis super exercitio Missionum, & acceptatione Præfecturarum, cum illius extensione ad sequentia tempora.

CVII.

Const. ed. 1707. Jan. 1. P. 7. declaratum fuit nullum Edictum Archiepiscopi Goan. contra jurisdictionem Commissarii Gen. Et Const. sequenti declarantur nulla gesta ab Episcopo Macaoenen. aliisque adversus eundem Commissarium.

Dat. 15. Mar. 1711. An. 11.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Epitome d. Decreti, quo omnibus vetitum fuit Missiones ingredi vel ab eis discedere, atque Praefecturas assumere absque licentia Commissarii Gen.

Decretum praed. an. 1708. cujus exordium peritur a necessitate fervandi ordinem Hierarchicum, quem Missionarii perturbationant.

Cum (sicut accepimus) alias nempe anno 1708. dilectus filius noster Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis Maillard de Tournon nuncupatus, tanquam noster, & Apostolicae Sedis Commissarius, & Visitator Generalis in Sinarum, & aliis Indiarum Occidentalium Regnis cum potestate etiam nostri, & ejusdem Sedis de Latere Legati a Nobis deputatus, ut varios abusus, quos in Apostolica auctoritatis contemptum in illarum partium Missionibus irrepisse cognoverat, emendaret, per suum Edictum, seu Decretum in Civitate Machaonen. editum, districte prohibuerit, ne ullus Missionarius, sive saecularis, sive Regularis cujuscumque Ordinis, absque ipsius Caroli Thomae Cardinalis Commissarii, & Visitatoris Generalis licentia Missiones Sinicas ingredi, vel ea non obtenta Missionarii munus in illis obire, aut etiam ea minime quaesita, sive non obtenta ab illis discedere auderet, sub poena suspensionis a Divinis per contrafacientes eo ipso incurrenda, simulque sub eadem poena interdixerit, ne ullus sive saecularis, sive Regularis absque ejusdem Caroli Thomae Cardinalis Commissarii, & Visitatoris Generalis consensu, superioratus cujuscumque officium, in alios sui gremii, vel Ordinis Missionarios in Sinis assumere, seu exercere praesumeret, & alias, prout uberius continetur in eodem Edicto, seu Decreto tenoris sequentis, videlicet:

S. 1. Carolus Thomas Maillard de Tournon Dei, & Sanctae Apostolicae Sedis gratia Patriarcha Antiochenus Sanctissimi Domini Nostri, Domini Clementis Divina Providentia Papae XI, Praelatus domesticus, ejusque Pontificio Solio Assistens, necnon S. Romanae Universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem Consultor, ac in Indiis Occidentalibus, & Sinarum Imperio finitimisque Regnis, & Insulis Commissarius, & Visitator Apostolicus Generalis cum facultate Legati de Latere &c. omnibus, & singulis Missionariis tam saecularibus, quam cujuscumque Ordinis Regularibus, & eorum Superioribus in hac Sineni Missionem, salutem in Domino &c. Quasi Castrorum Acies ordinata Nobis exhibetur Ecclesia ab eo, qui rerum omnium est ordo perfectus, & immutabilis absque vicissitudinis obumbratione, ut quemadmodum Milites hujus saeculi sub Tribunis, Praefectis, & Ducibus bella gerunt, ita, & Praepositis suis discant parere, qui sub Jesu Christi vexillo militare profitentur. Et quidem cum Christi membra simus, debemus juxta Apostolicam traditionem Capiti Ordine Hierarchico adherere secundum operationem in mensuram cujuscumque membri, atque in Praelatis Christi vocem audire, & Imaginem venerari, docentibus Nos sacris paginis obedire Praepositis, etiam dyscolis, & Deo potius obedientiam offerre, quam victimam. Quod si ordo ubique apprimè convenit, hic est maxime necessarius, ubi sanctitatem Christianae Religionis in recta illius Ministrorum disciplina decet praefulgere, ex quorum officio, & exemplo sanctitatis gloria flare videtur, & bonus odor notitia Dei manifestatur. Quis enim honor Evangelii, si lapides sanctuarii in capite omnium Platearum sint dispersi? Disperguntur namque cum Sacerdotes, & perfectionis Institutionis viros in Ecclesiae aedificationem compositos a solido Divini aedificii fundamento per inobedientiam dissolutos, & Petra, a qua excisi sunt, immemores conspicimus, cum abjectis regiminis juribus in Praepositos suos palam insiliunt, qui eorum deberent apparere ornamentum, & cum insalutato Pastore Dominici Gregis curam inor-

dinate usurpare praesumunt, non attendentes cui dictum sit a Domino - Paece oves meas - neque miseram reformidantes conditionem non intrantium ad ovile per ostium. Cum itaque scandala ista sub oculis nostris, & in positivum Apostolicam, qua fungimur, auctoritatis contemptum in has Missiones nuper irreperint, & quod dolendum magis est per quosdam Religiosos strictiori voti vinculo S. Sedi obedientiae obstrictos, lugere cogimur cum Propheta aurum obscuratum, & mutatum colorem optimum, qui sane juxta D. Gregorium commutatur, cum eorum, qui degere religiose credebantur aemulatio ante acta minuitur: ne autem omnino inanis sit lucus noster, pro viribus commisisse Nobis, licet immeritis, a Sanctissimo Domino Nostro Domino Clemente PP. XI., & a Sancta Sede potestatis, abusus hujusmodi obviam ire volentes, decernimus, & statuimus, ut quicumque Missionarius, aut Presbyter, sive saecularis, sive Regularis cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu, desiderio propagandae fidei ad has Sinenes oras appulsus, vel appulsurus, Missiones ingredi non requisita prius nostra licentia (quae in scriptis dabitur) vel ea non obtenta Missionarii munus obire, vel ea etiam irrequisita, aut non obtenta hinc recedere praesumpserit, sit ipso facto suspensus a Divinis. Non obstantibus quibuscumque indultis, & privilegiis Apostolicis, etiam Societatis Jesu, quae ad hunc effectum, quatenus opus sit, ex speciali, quae Nobis est data a S. Sede facultate, suspendimus, & suspensa declaramus. Cum illis vero, qui inordinato hoc modo ingredi in Missiones ausi sunt, benigne indulgentes quadrimestre a publicatione praesentium concedimus ad moram purgandam; quo tempore elapso, nisi facti poenitentes veniam cum licentia a Nobis humiliter impetraverint, sint etiam ipso facto a Divinis suspensi. Et quoniam in his non videntur innocui eorum Superiores, qui Regimini habenas Nobis nequidem monitis clam suscipientes perniciosa exemplo, & interdum etiam consilio subditos suos in foveam inobedientiae ducunt, contra quos Dominus per Prophetam queri videtur, dicens: Oves meae, quae conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: conculcata siquidem Pastorum pedibus oves pascentur, cum subiecti ea, quae aspiciunt, opera pravitatis imitantur. Iis igitur, aliisque de causis praecipimus, & in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut nullus sive saecularis, sive Regularis, etiam Societatis Jesu, Nobis inconsultis, & non obtento prius nostro consensu, superioratus cujuscumque officium in alios sui gremii, vel Ordinis Missionarios in Sinis assumere, seu exercere praesumat. Quod si aliquis Visitatoris, Vice-Visitatoris, Provincialis, Vice-Provincialis, Commissarii, aut Vicarii Provincialis titulo forsan nominandus, sive Superior quicumque contrafaciat, praeter suspensionem a Divinis ipso facto incurrendam, Nobis, & S. Sedi reservatam, ex nunc pro tunc irritamus, & annullamus quaecumque acta, & praecipua, ab eo facta, & facienda, atque illa irrita, & nulla declaramus, subditosque ab illius obedientia in utroque foro absolvimus, & liberamus. Et ita ex commissa Nobis Apostolica auctoritate, etiam Legati de Latere decernimus, statuimus, & ab omnibus servari mandamus. Aequum enim est, ut qui Dominicæ Vineae operariis praestit, & vices gerit, universalis in Terris Patris familias, illos agnoscat, & sub quibusvis Praepositis Evangelicæ culturae dent operam non ignoret. Datum Machai ex Palatio nostrae solitae habitationis die 3. Julii anno Domini 1708. Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis, Divina Providentia Papae XI. anno octavo. C. Thomas Patriarcha Antiochenus, & Visitator Apostoli-

Mala hac in parte suborta Apostolica auctoritatis Commissarii contemptum pariunt.

Statutum de non peragendis Missionibus, vel ab eis discedendo sine licentia sub poena suspensionis a Divinis.

Statutum alterum de non accipiendis Praefecturis sine Commissarii consensu sub poena suspensionis a Divinis.

cus -- Sabinus Marianus Auditor. Loco † Sigilli. Andreas Candela S. Vistationis Apostolicæ Cancellarius.

§. 2. Nos Edictum, seu Decretum hujusmodi rectæ, ac felici dictarum Missionum directioni in præsentibus potissimum rerum circumstantiis summo opere conducibile esse considerantes, ac proinde inviolabili illius firmitati, robori, & efficaciam, debitæque executioni, ex commissi Nobis cælitus Pastoralis officii debito providere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium tam in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, a Sede prædicta specialiter deputatorum, quam aliorum ex Congregatione Propagandæ fidei negotiis præposita super rebus Indiarum Orientalium specialiter itidem deputatorum, quos insimul coram Nobis super rebus hujusmodi congregatos pluries audivimus, consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Edictum, seu Decretum præinfertum cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis vim, robor, & præsidium adjungimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Præterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus omnia, & singula, quæ in Edicto, seu Decreto prædicto super licentia dicti Caroli Thomæ Cardinalis Commissarii, & Vistatoris Generalis ab iis, qui Missiones Sinicas supradictas ingredi, sive in eis Missionarii munus exercere volunt, requirenda, & obtinenda, sicut præmittitur statuta, & sancita fuerunt, earumdem tenore præsentium ita extendimus, ac respective declaramus, ut non modo quo ad ipsum Carolum Thomam Cardinalem Commissarium, & Vistatorem Generalem quoque in illis partibus permanserit, sed etiam quoad alios, qui ei in munere Commissarii, & Vistatoris Generalis hujusmodi pro tempore succedent locum, & effectum, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum habere debeant, dicta vero licentia, sive a prædicto Carolo Thoma Cardinale, aliove Commissario, & Vistatore Generali earumdem partium, sive a personis per eos opportune subdelegandis, ut præfertur danda, non alias concedenda sit, nisi præfinito prius per eos, quibus concedetur, juramento, de exacte observando Decreto super Ritibus, seu Cæremoniis Sinicis die 25. Septembris anni proxime elapsi a Nobis promulgato, quovis contrahendi, etiam præteritæ, & a Nobis improbatæ conditionalitatis Decreti hujusmodi, aliove quæsto colore, seu prætextu penitus rejecto, atque sublato.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet, etiam cujusvis status, gradus, ordinis, præminentia, & Dignitatis, seu alia speciali, & individua mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consentirent, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causa propter quas præsentibus emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis justa, juridica, legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & formali, ac substantiali, & incogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, in-

fringi, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcussè observari: Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & desiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, quarumvis Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, Institutum, Provincialium, Conventuum, Collegiorum, Monasteriorum, & locorum piorum quorumcumque, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Ecclesiis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, Institutis, Provinciis, Conventibus, Collegiis, Monasteriis, & locis piis quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, irritantibusque & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regum, & Principum, seu alias quacumque mundana, vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, & alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium præmissorum concessis, ac quantumcumque vicibus confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ adhibetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. Martii MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Confirmatio
relati Decreti.

Extensio
præd. Decreti
ad tempora
sequentium
Commissariorum,
cum mandato
Missionariis
præstanti
juramentum
de servando
Decreto 1710.
25. Sept. edito
super Ritibus
Sinicis.

Clausulæ.

CVIII.

Declarantur nulla gesta ab Episcopo Macaonen-
eius Vicario, aliisque adversus Commissarium,
& Visitatorem Gen. Apost., cum eorumdem
damnatione, & censurarum inflictarum con-
firmatione.

*Const. precedenti confirmatum fuit decretum Com-
missarii Gen. de Missionibus, & Praefecturis. Et
Const. ed. 1720. Jan. 5. P. 20. declaratur nulla
sententia ab Officiali Archiepiscopi Ebreunden. lata
super censuris a Vicario Capitulari Nicien. pro-
mulgatis.*

Dat. 15. Mar.
1711. An. II.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Auctoritas
Commissarii
Gen., quam
antea agno-
verat Episco-
pus Macao-
nen. ab eod-
em postea
aliisque im-
petita fuit.

AD Apostolatus nostri notitiam non sine gra-
vissima animi nostri molestia, pervenit,
quod venerabilis frater Johannes de Casal Episco-
pus Macaonen. tametsi alias, nempe statim
ac ad illius manus devenerant quaedam nostrae in
simili forma Brevis literae, quibus ei significave-
ramus, Nos in illas partes allegasse dilectum fi-
lium nostrum Carolum Thomam S. R. E. Cardina-
lem de Tournon tunc Patriarcham Antioche-
num, eique munus nostri, & Apostolicae Sedis
Commissarii, ac Visitatoris Generalis in Sina-
rum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis, cum
potestate etiam nostri, & ejusdem Sedis de Late-
re Legati demandasse: Ipse Joannes Episcopus de-
bita reverentia, atque obedientia, ut par erat
ejusdem Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriar-
chae, ac Commissarii, & Visitatoris Generalis
Jurisdictionem absque ulla mora, agnovisset,
quinimo ad ipsum per suum edictum publicè affi-
xum, ac promulgatum toto literarum nostrarum
praedictarum tenore inserto palam declaraf-
set, nihilominus postea tam acriter, atque
impudenter ipsius Caroli Thomae Cardinalis
tunc Patriarchae, ac Commissarii, & Visitatoris
generalis auctoritatem, potestatem, ac dignita-
tem, adeoque etiam nostram, & dictae Sedis Jura
impetere ausus fuit, ut non modo per aliud
suum edictum vigore quarundam assertarum
literarum sibi hac in re a Venerabili Fratre Au-
gustino ab Annuntiatione Archiepiscopo Goano
scriptarum, illique forsitan ejusdem Augustini
Archiepiscopi Edicto consimilium, (quod dudum
per alias nostras in simili forma Brevis die 4. Ja-
nuarii 1707. expeditas literas, nullum, irritum,
atque invalidum declaravimus) publicatum, di-
cto Carolo Thomae Cardinali tunc Patriarchae,
ac Commissario, & Visitatori generali cujusvis
jurisdictionis exercitium in sua Diocesi Macao-
nen. interdixit, omnemque ei a suis subditis
obedientiae actum exhiberi prohibuerit, verum
etiam ejus nomine a quodam Laurentio Lomez
asserto illius Vicario Generali adversus dilectum
filium Constantinum a Spiritu Sancto Priorem,
aliosque tunc existentes Fratres Conventus
nostrae Dominae de Gratia nuncupati Macaonen.
Ordinis Eremitarum S. Augustini, eo quia ipsum
Carolus Thomam Cardinalem tunc Patriar-
cham, ac Commissarium, & Visitatorem Ge-
neralem honorifice exceperunt, ad interdicti,
aliasque penas, & censuras Ecclesiasticas, non
minus nulliter, quam injuste devenitum fuerit.
Ad haec idem Joannes Episcopus eo temeritatis
processit, ut minime attendens ad petram unde
excisus fuerat, quascumque censuras a praedicto
Carolo Thoma Cardinale, tunc Patriarcha, ac
Commissario, & Visitatore Generali inflictas
pro irritis, & nullis habendas esse publice decla-
raverit, imo etiam contra ipsum Carolum Tho-
mam Cardinalem tunc Patriarcham, ac Com-

Episcopi Edi-
cto interdi-
ctum fuit
Commissario
exercitium
suae auctori-
tatis.

Item ab ejus
Vicario Gen.
inflictae fuere
censurae Fra-
tribus S. Aug.
quod Com-
missarium
exceperunt.

Et ab Episco-
po nulla de-
clarata cen-
sura a Com-
missario in-
flictae, nec
non in eum
promulgata
sententia ma-
joris Excom-
municatio-
nis.

missarium, & Visitatorem Generalem inverfo-
sane poenarum per canonicas sanctiones irroga-
tarum usu, majoris excommunicationis senten-
tiam promulgare non erubuerit, ita plane Apo-
stolicae Jurisdictionis hostis, & everfor factus, quo
illius custos, & vindex praecipuus esse debuisset.
Praeterea adeo se immemorem ostendit vena-
bilis dignitatis seu characteris, ac inviolabilis
Religionis illius juris jurandi, quo se Deo, Nobis,
& Ecclesiae in suscipiendo consecrationis munere
se obstrinxerat, ut Ministris, ac Officialibus
Laicis earundem partium duriora quaeque adver-
sus dignitatem, imo etiam personam praedicti
Caroli Thomae Cardinalis tunc Patriarchae, ac
Commissarii, & Visitatoris Generalis molientibus
se sociaverit, ac pene Dux eorum, qui
Christum Domini sacrilego, ac detestabili ausu
multifariam vexarunt, & forte etiam adhuc
vexant, fieri non formidaverit, aliaque plura
adversus ejusdem Caroli Thomae Cardinalis, tunc
Patriarchae, ac Commissarii, & Visitatoris Ge-
neralis, imo potius adversus nostram, & Sedis
praedictae auctoritatem, ac jurisdictionem atten-
tare praesumpserit. Innotuit pariter Nobis, quod
praemissis attentis dictus Carolus Thomas Car-
dinalis tunc Patriarcha, ac Commissarius, &
Visitator Generalis, tametsi tunc temporis in
praedicta Civitate Macaonen. non quidem a Pa-
ganis, sed ab Officialibus, ac Ministris Christia-
nis nulla sacri characteris, nulla praestantissima
suae dignitatis, nulla Ecclesiasticarum sanctio-
num, nulla denique Juris Gentium, quod apud
Barbaras quoque Nationes, sacrosanctum, ac
inviolabile est, habita ratione, multorum Mil-
litum diurna, nocturnaque custodia, ut captivus
detineretur, aliisque acerbissimis, ac plane in-
credibilibus injuriis, & contumeliis, ipsis exhor-
rescentibus Ethnicis, afflictus reperiretur, ni-
hilominus inter affecta valetudinis, ac tot alia-
rum tribulationum, quas perfererat, incom-
moda crescens quotidie magis in charitate Chri-
sti, invictoque animo illius causam agens, post-
quam praecipuos ejusmodi sacrilegorum exces-
sum adversus ejus personam, ac dignitatem
commissorum auctores, ac vera iniquitatis filios
canonicae severitatis mucrone percussit, illor-
que affixis publice contra eos schedulis, majoris
excommunicationis poenam incurrisse pronun-
ciaverat, inter alia, atque ut sua, quinimo no-
stra, & ejusdem Sedis Jura fortiter tueretur, im-
perterrito animo devenit, omnia, & singula per
Curiam Episcopalem Macaonen. contra ipsum
ejusque jurisdictionem gesta, ut praefertur, ut-
pote impediencia exercitium muneris sibi a
Nobis commisi, necnon Ecclesiasticae libertatis,
& Apostolicae auctoritatis summopere laesa,
circumscipit, annullavit, revocavit, ac utri
nulliter, attentate, temere, & audaciter facta de-
claravit; Sententiam insuper asserti interdicti in
fratres, & Ecclesiam praedicti Conventus Ordinis
Eremitarum S. Augustini, sicut praemittitur
latam, nec non quascumque citationes, manda-
ta, edicta, ac scripturas, jurisdictionem Apostoli-
cam quomodolibet laedentes, aut illi quoque
modo contrarias revocari, aboleri, deleri, ac
pro nulliter factis, nulliusque roboris, ac mo-
menti haberi, & habendas esse mandavit, ipsum
vero Joannem Episcopum propter praemissa cen-
suras omnes Sacris Canonibus, & Apostolicis
constitutionibus, ac praesertim literis die Cenae
Domini singulis annis legi, & promulgari solitis
contra similia perpetrantes inflictae damnabili-
liter incurrisse, illumque pro excommunicato,
& a fidelium consortio segregato, & vitando
haberi, & habendum esse similiter declaravit.
Post haec cum accepisset in eadem Civitate Ma-
caonen. non semel adversus Pontificiae potestatis
jura, & Ecclesiasticam libertatem convenisse
in unum, atque in tenebrarum consilia, non

Ac tandem
auxilium
praestitum
Ministris Cu-
riae secularis
multa adver-
sus Commis-
sarium mo-
limentibus.

A Commissa-
rio Machaon.
in Custodia
detento de-
claratum
fuit. nulla
esse praed.
a Curia Episc-
copali, & sa-
culari, reli-
giosis perso-
nis aliisque
gesta, atque
illos in cen-
suras inci-
disse.

modo

modo Ministros, & Officiales Laicos sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti, sed etiam eos, qui cæteris lucis exempla præbere, atque, utpote de Altari viventes, vel Religioso Strictioris vitæ, & obedientiæ Instituto additi Apostolicam auctoritatem præcipue excolere debuissent, turpiter conspirasse: Omnia, & singula in ejusmodi Conventibus, seu potius Conciliabulis Decreta, & Statuta, quæ Sedis Apostolicæ prædictæ, & Ecclesiasticæ Immunitatis jura quovis modo lædere poterant, uti nulla, irrita, & invalida, nulliusque roboris, & momenti pariter habenda esse decrevit, omnesque, & singulos cujusvis status, & conditionis, sive laicos, sive Ecclesiasticos tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, vel Instituti, qui Conventibus, seu Conciliabulis hujusmodi interfuerant, ibique aut suadendo, aut consulendo, aut subscribendo, aut mandando, aut alias quomodolibet directe, vel indirecte Decretis, & Statutis prædictis consenserant, censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra hæc perpetrantes in Apostolicis Constitutionibus, ac potissimum literis die Cænarum Domini legi solitis suprædictis contentas incurrisse, illosque propterea pro excommunicatis, & a Fidelium gremio segregatis, & vitandis haberi, & habendos esse denunciavit. Novissime demum e remotissimis illis regionibus Nobis significatum fuit illatas eidem Carolo Thomæ Cardinali Commissario, & Vicario Generali, ejusque dignitati multiplices, ac pene inauditas vexationes, etiam postquam illic innotuerat, eum eximii suis ita exigentibus meritis, ad sublimem Cardinalatus honorem a Nobis evectum fuisse, minime cessasse, præcæteris vero suprædictum Laurentium Gomez assertum Vicarium Generalem Macaonen. in alium prorupisse gravissimum excessum, cum enim dictus Carolus Thomas Cardinalis ob justas, & rationabiles causas ab eo expressas dilectos Filios Presbyteros Regulares Societatis Jesu in dicta Civitate Macaonen. existentes, illorumque Ecclesiam, Collegium, ac Seminarium Ecclesiastico interdico suppositisset, idem Laurentius non modo interdico hujusmodi irritum, ac nullum temere declaravit, verum etiam suo ad id promulgato Monitorio, seu Edicto, omnibus, & singulis Episcopatus Macaonen. subditis, cujuscumque tandem gradus, conditionis & præminentia existerent, ne cum dilecto Filio Petro de Amaral Fratre expresse professo Ordinis Prædicatorum, qui pro debita eidem Carolo Thomæ Cardinali, semper, & constanter præstita obedientia, ærumnas plurimas, magno, fortique animo sustinuit, aliisque Fratribus Conventus Macaonen. dicti Ordinis, imo nec cum aliis quibuscumque, sive Laicis, sive Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, seu Instituti dicto Carolo Thomæ Cardinali obedientiam exhibentibus, consortium ullum, seu commercium haberent, sub pœna excommunicationis per contrascentes eo ipso incurrenda districte prohibuit, & interdixit. Quibus permotus, aliisque pluribus suprædicti Laurentii reatibus attentis, idem Carolus Thomas Cardinalis ipsum Laurentium excommunicatum publice declaravit, & tamquam putridum membrum a Christianidelum consortio abscessum pronuntiavit. Subinde vero prædictum Joannem Episcopum non modo ejusdem Laurentii sui asserti Vicarii Generalis gesta temere, ac perperam repugnantem, sed etiam secundum duritiem suam, & impœnitens cor thesaurizantem sibi iram in die ire, ac peccatum super peccatum adjicere non dubitantem, mense Septembri anni 1709., dilecto filio Promotori Fiscali suæ Apostolicæ Visitationis instante, ad comparandum infra annum in alma Urbe

nostra coram Nobis, ad se defendendum, & purgandum de excessibus in præjudicium Ecclesiæ, atque Apostolicæ Sedis prædictæ, & contra proprium juramentum Episcopale commissis, necnon ad dicendum causam, quare contra ipsum ad depositionis, aliasque graviores pœnas arbitrio nostro irrigandas procedi non deberet, citari, ac moneri jussit, & mandavit.

§. 1. Cum autem ea omnia, quæ adversus prædictum Carolum Thomam Cardinalem, sicut præmittitur Decreta, gesta, atque attentata fuerunt, quæque profecto non nisi summo omnium Christianidelum horrore, ac mœtore audiri possunt, intolerabilem profus Ecclesiasticæ Immunitatis Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constitutæ, debitæque huic S. Sedi obedientiæ violationem imo potius everfionem importent, adeoque Romanum Pontificem in suprema dictæ Sedis specula cum potestatis plenitudine ab Altissimo collocatum, ad quem in primis pertinent damna, & offensæ, quæ Christo Domino inferuntur in tanta, & tam gravi divini nominis, atque humani juris perturbatione otiosum, ac deinde esse minime patiantur. Hinc est, quod Nos, qui ex commissi Nobis calitus Pastoralis Officii debito quorumcumque eidem Apostolicæ Sedi, Sanctæque Dei Ecclesiæ competentium Jurium, nec non quarumvis Ecclesiasticarum personarum, præsertim non minus insignium meritorum, quam sublimis in eadem Ecclesia gradus splendore fulgentium libertatis, ac dignitatis assertores in Terris, ac Vindices a Domino constituti sumus: tamen si dictus Carolus Thomas Cardinalis quantum sibi inter illas in quibus versabatur, & forsitan adhuc etiam versatur angustias, permittum fuit, ea omnia, quæ ad ipsius munus pertinebant, quæque proinde firma semper, & salva esse volumus strenue, ac fideliter, ut præfertur implere non prætermiserit; Nihilominus Pontificii, etiam Judicii nostri accessione Ecclesiasticæ Jurisdictionis indemnitati uberius consulere, nostrarumque, & dictæ Sedis Jura, facta, tacta, atque illibata quantum nobis ex alto conceditur enixius tueri, & conservare cupientes, necnon omnium, & singulorum in præmissis, seu eorum occasione tam ab eisdem Joanne Episcopo ac Laurentio Gomez ejus asserto Vicario Generali, quam a prædictis Officialibus, & Ministris, aliisque quibuscumque personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, necnon Officialium, Ministrorum, aliorumque prædictorum qualitates, dignitates, nomina, & cognomina, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirunt, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, prædicta omnia, & singula Decreta, Monitoria, ordinationes, literas, censuras, declarationes, resolutiones, interdicia, Mandata, & Edicta, ac alia quælibet tam a Joanne Episcopo, & Laurentio Gomez ejus asserto Vicario Generali, quam ab Officialibus, & Ministris suprædictis, aliisque quibuscumque personis tam Sæcularibus, sive Ecclesiasticis, sive Laicis, cujuscumque tandem status, gradus, conditionis, & dignitatis fuerint, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu Regularibus, in præmissis, sive eorum occasione adversus Personam, seu dignitatem suprædicti Caroli Thomæ Cardinalis Commissarii, & Visitationis Generalis, seu alias in præjudicium libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque auctoritatis Apostolicæ respective quovis

Enormitas prædictorum omnium, & cause præsentis Constitutionis.

Declaratio nullitatis relocatorum omnium cum eorumdem damnatione, confirmatione censurarum, necnon comminatione severiorum pœnarum.

modo

Multiplices vexationes illa, & Commissario ad S. R. E. Cardinalatum evecto.

A Vicario Gen. nullum declaratum fuit interdictum cui suppositi fuerant Presbyteri Societ. Jesu, ejusque Ecclesia: nec non omnibus interdictum consortium cum exhibitibus obedientiam Commissario Gen.

A Commissario declaratus fuit Vicarius Gen. publice excommunicatus, atque mandatum Episcopo, ut Romæ adesset.

modo edita, promulgata, scripta, lata, acta, facta, gesta, & perpetrata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quodcumque secuturis penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, & a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto præsumpta, nulliusque roboris, vel momenti, & efficaciam esse, & ab initio fuisse, & perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec a quopiam observari posse, vel potuisse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuo itidem haberi debere tenore præsentium declaramus. Et nihilominus ad majorem, & abundantioram cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac pro damnatis, reprobatis, revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolutis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi volumus, & mandamus. Firmas præterea, ac salvas esse similiter volumus, atque decernimus quascumque censuras, & pœnas Ecclesiasticas sive a jure, sive a prædicto Carolo Thoma Cardinali latas, & promulgatas, quas prædicti, & alii quilibet, qui præmissa perpetrarunt, necnon ad hærentes, Fautores, & Defensores eorum, sive, qui illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstiterunt, propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, a quibus post condignam Ecclesiæ præstitam satisfactionem, non nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, vel etiam ab ipso Carolo Thoma, & Cardinali, aliove Commissario, & Visitatore Generali dictarum partium similiter pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, & tunc cum reincidentia in eadem censuras eo ipso, quo convaluerint) absolvi, & liberari valeant. Facultate insuper non solum Nobis, & eidem S. Sedi, sed etiam ipsi Carolo Thomæ Cardinali, seu pro tempore existenti Commissario, & Visitatori generali prædicto expresse reservata, quatenus illi minime redierint ad cor, sed in sua contumacia persistentes, censuras, & pœnas Ecclesiasticas hujusmodi, animo, quod absit, sustinerint indurato, ad alia canonica, & severiora remedia quodcumque procedendi.

Clauſula.

§. 2. Decernentes etiam easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis, seu eorum aliquo Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentiam, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentis emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aux ex alia quolibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari,

aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentis literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari: sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. Eccl. prædictæ Cardinales, etiam de Larere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentiam, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regu a de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiæ Macaonen., & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societarum etiam Jesu, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & statutis, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis Ecclesiæ Macaonen., Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu prædictis, illorumque respectivè Præsulibus, Superioribus, & Personis, aliisque quibuslibet, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogationum derogationis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliave quolibet mundana, vel Ecclesiastica dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplationem, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie, etiam consistorialiter in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantumcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, exprimerentur, ac infererentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XV. Martii MDCCXI. Pontificatus nostri anno Undecimo.

Conceduntur Religioni Bethlehemitarum Privilegia Ordinum Mendicantium, & Congregat. Ministrantium Infirmis.

Eadem privilegia concessa fuere Congregationi Sancti Joannis Dei ab Urbano VIII. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1701. Jun. 25. P. 1. Congregationi Charitatis S. Hippolyti. Item Const. edit. 1710. Apr. 3. P. 10. præd. Religio erecta fuit. Et Constitut. ed. 1714. Decem. 22. P. 15. agitur de ejus gubernio.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 24. Julii
1711. An. 11.

Exordium.

Injuncti Nobis cœlitus Pastoralis Officii ratio postulat, ut paternam Sacrarum Religionum, & Congregationum Christianæ charitatis, & hospitalitatis operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium, & Institutum, quo labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continent, & ferventius exequantur, liberalibus gratiarum, & privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Preces Procuratoris Gen. & causæ præsentis Constitutio- nis.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Michael de Jesu Maria Congregationis Fratrum Bethlehemitarum nuncupatorum in Hospitalibus Pauperum Convalescentium in Indiis Occidentalibus se exercitium jam in Romana Curia Procurator Nobis nuper exponi fecit, Fratres dictæ Congregationis nuper a Nobis per quasdam nostras desuper in simili forma Brevis die 3. Aprilis anni proxime præteriti expeditas literas in veram Religionem erectæ tria substantialia vota in illa ad instar cæterorum Ordinum, & Institutorum a Sede Apostolica confirmatorum de præsentem emittant, aliisque multiplicia, atque insignia pietatis, & Christianæ charitatis opera erga pauperes, & convalescentes in eorum Hospitalibus degentes, non sine spirituali animarum beneficio exercuerint, & in dies exercere non desinant, ut autem illa semper impensivus, & indefessi obeant, & continent, ipse Michael plurimum cupiat gratias, & privilegia Ordinum Mendicantium, & Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quæ alias rec. mem. Urbanus PP. VIII. Prædecessor pariter noster Ordini tunc Congregationi nuncupat. Fratrum S. Joannis Dei communicavit, & concessit; Nosque subinde nempe die 25. Jun. 1701. per quasdam nostras in simili itidem forma Brevis desuper expeditas Literas ad Congregationem Charitatis sub titulo Sancti Hippolyti Martyris in Indiis sub certis modo, & forma tunc expressis extendimus, prædictæ Congregationi Fratrum Bethlehemitarum, illiusque Fratribus, & Locis a Nobis pariter communicari, & concedi: Nos eandem Congregationem Fratrum Bethlehemitarum, & pia illius Instituta confovere, & promoveri, ac proinde dictum Michaeli, & dilectos filios Fratres Congregationis hujusmodi specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus ejusdem Michaelis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præ-

positorum consilio, attentis narratis, omnia, & singula privilegia, prærogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes conservatorias, Immunitates, & exemptiones, libertates, cæterasque gratias, præminentias, & Indulta cujuscumque generis existentia spiritualia, & temporalia quaecumque illa sint, dummodo tamen sint in usu, & non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, vel memoratis Regularibus dictæ Congregationis Bethlehemitarum Institutis non adveniant prædictis Ordinibus Mendicantium, & Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eorumque Conventibus, Domibus, & aliis Locis Regularibus, ac Ordinum, & Congregationis hujusmodi Generalibus, Præsentibus, & quibusvis aliis Superioribus, Prælatibus, & Capitulis, etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque Diffinitoribus, Prioribus, Novitiis, Fratribus, Conventibus, Donatis, & quibusvis eorum Regularibus personis tam in Urbe, quam etiam in quibuscumque Mundi partibus existentibus, & illorum intuitu, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, aut alios auctoritatem habentes concessa sunt, & conceduntur, ac quibus de jure, usu, vel consuetudine, privilegio, seu concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, ad præfatam Congregationem Bethlehemitarum, & singula illius Hospitalia, Domos, & alia Loca Regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque Regulares personas auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo extendimus, illaque eis communicamus, & denuo concedimus, ac suffragari volumus.

§. 2. Decernentes easdem præsentem literas, semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto Filio Causarum Curie Camera Apostolicæ Generali Auditori per præsentem committimus, & mandamus, quatenus quilibet eorum per se, vel per alium, seu alios præsentem literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis, & Fratrum dictæ Congregationis Bethlehemitarum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem plenam earum effectum sortiri, & obrinere, illisque omnes, quos concernunt pacifice frui, & gaudere, non permittentes quempiam desuper contra illarum tenorem sub quovis prætextu, & causa etiam defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebite molestari, quinimo quicquid in contrarium attentari, vel fieri contingerit, omnino semper in pristinum reponi. Contradictores quoslibet, & rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videbitur censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia op-

Concessio Privilegiorum, dummodo non sint revocata, nec adveniant Constitutio- nibus.

Clausulæ.

Deputatio Executori.

portuna

portuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his haberi. servatis processibus, censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac piæ me. Bonifacii P. VIII. etiam Prædecessoris Nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in iudicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinum, & Congregationis Clericorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus, stabilitimentis, usibus, & naturis, privilegiis quoque, indulgis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, & forma derogari valeat, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Jul. MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CX.

Declarantur nulla Decreta, aliaque gesta a Magno Consilio Varavia, super solutione onerum ab Ecclesiasticis faciendâ, eorumque subjectione seculari iudicio.

Const. ed. 1709. Oct. 5. P. 9. declarata fuere nulla edita a potestate seculari in Regno Neapolis super sequestro fructuum Ecclesiasticorum absentium. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Sep. 25. P. 5. declaratur nulla lex per Ordines Regni Polonia lata.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. AD Apostolatus nostri notitiam, non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod præter multa gravamina, & præjudicia a laicali potestate personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus Regni Poloniae pluribus abhinc annis illata, in magno

consilio dicti Regni nuper, nempe anno proxime præterito in Oppido Varavia Posnaniæ. Dicecisi habitu edita fuerunt nonnulla decreta, & Ordinationes, seu Constitutiones, quibus non modo bona Ecclesiastica solutioni plurium onerum, & gabellarum pro exercitu tam æstivo, quam hiberno tempore alendo, ac stipendiis militarium copiarum, quas in præsentibus eisdem Regni moribus, & perturbationibus retineri oportet, solvendis impostorum obnoxia redduntur, cum expressa declaratione, quod nulla cuiquam hac in re exemptio suffragetur, itaut Ecclesiarum, locorum piorum, & quarumcumque personarum Ecclesiasticarum tam Sæcularium, quam Regularium æque, & non secus ac Laicorum bona onerum, & Gabellarum solutioni huiusmodi subjaceant; verum etiam personæ ipsæ Ecclesiasticæ, quas machinationis, seu aliorum delictorum contra leges, & auctoritatem Reipublicæ commissorum reas esse constitit, generalis confederationis Sandominiæ iudicio, nec non laicali cujuscumque Provinciae foro (facta dumtaxat quoad personales, seu corporales penas exceptione) subjiciuntur, & alias prout in Decretis, & Ordinationibus, seu Constitutionibus supradictis plenius dicitur contineri, successive vero in executionem dictorum Decretorum, & Ordinationum taxa præfactorum onerum, impositionum, & gabellarum laicali auctoritate præscripta fuit, illorumque exactio fieri cæpit absque ullo prævio Apostolico beneplacito, quod de jure requirebatur, & pro quo alias obtinendo in gravioribus, & majoribus Belli contra Turcas necessitatibus, imo etiam in casibus alicujus spontanei subsidii ab Ecclesiasticis in supplementum virium, seu facultatum Laicorum oblatis humiles preces pro parte ipsorummet Poloniae Regum ab illius exactione interim, donec beneplacitum huiusmodi obtentum fuisset, prout juris erat, abstinentium huic Sanctæ Sedi porrectæ fuerant.

§. 2. Cum autem Decreta, & Ordinationes, seu Constitutiones huiusmodi, aliaque præmissa Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, nec non Conciliorum Generalium Decretis, quæ laicali potestate, ne ullum onus, gravamen, seu Pedagogium, aut quodcumque subsidium, etiam oblatum, & concordatum a personis Ecclesiasticis absque dicto beneplacito Apostolico exigere, ipsasque personas Ecclesiasticas ad Laicorum Tribunalium iudicium trahere, illisque eas subjicere audeant, seu præsumant sub gravissimis penis prohibent manifeste, advenfentur, adeoque per ea libertas, iurisdicctio, & Immunitas Ecclesiastica summopere læsa remanserit: Hinc est quod Nos, qui iurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, omniumque Ecclesiarum, & Christianidelium curam, & sollicitudinem divina dispositione gerimus, tam gravibus, & scandalosis Sæcularis potestatis abusus, ac animarum periculis quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, nec non omnium, & singulorum in præmissis, seu circa præmissis tam a dicto magno consilio Varavia, quam ab aliis quibuscumque quomodolibet actorum, & gestorum seriem, causas, & occasiones, aliaque quælibet, etiam specificam, & individua mentionem, & expressionem requirementa præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac exactissime, & accuratissime specificatis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, supradicta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones in consilio Varavia edita, nec non Taxam onerum impostorum, & Gabellarum ab Ecclesiasticis etiam solvendorum præscripta, illorumque exactionem deinde subsecutam, ut præfertur, aliaque omnia, &

definitiva subjiciuntur solutioni pro Exercitu, & Ecclesiasticæ personæ Tribunali laicali, non tamen quoad corporales penas.

Prædd. Decreta executioni mandata fuere sine beneplacito Apost. contra consuetudinem ipsius Regni.

Relata omnia advenfentur iuribus Ecclesiæ.

Declaratio nullitatis prædictorum, cum eorumdem damnatione, & revocatione.

singula,

Dat. 28. Julii 1711. An. 11.

Post plura gravamina Ecclesiasticis personis illata, edita fuere prædd. Decreta, quibus bona Ec-

singula, a dicto consilio, aliisque quibusvis personis, etiam specifica, & individua mentione dignis in præmissis, seu eorum occasione in præjudicium libertatis, Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, per abusum Secularis potestatis quodcumque, & qualitercumque acta, gesta, mandata, decreta, & ordinata forsan, & forsan in futurum, (quod Deus avertat) agenda, facienda, gerenda, mandanda, decernenda, & ordinanda cum omnibus, & singulis inde quovis modo secutis, & quomodocumque secuturis penitus, & omnino nulla, invalida, inania, irrita, temeraria, & a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, & de facto præsumpta, nulliusque roboris, & momenti, & efficaciam esse, & ab initio fuisse, ac perpetuo fore tenore præsentium decernimus, & declaramus, illasque damnamus, & reprobamus; ac nihilominus ad majorem, & abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula quatenus de facto processerunt, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectum, ita ut nullum unquam præjudicium, etiam minimum, libertati, jurisdictioni, & Immunitati Ecclesiasticæ inferre, vel intulisse dici, censei, prætendi, vel intelligi quoquo modo possint, penitus, & omnino vacuum in omnibus, & per omnia perinde ac si nunquam facta fuissent, nec evenissent, neque unquam fierent, nec evenirent.

Præcipitur omnibus, sub certis poenis, & censuris, ne memorata executioni mandent, vel mandari permittant sub quocumque prætextu.

§. 3. Quo circa Venerabilibus Fratribus dicti Regni Archiepiscopis, & Episcopis sub poena suspensionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingressu Ecclesiæ præcipimus, & mandamus, ne Decreta, Ordinationes, & Constitutiones hujusmodi executioni mandari, necnon dictam Taxam laicali auctoritate absque nostro, & dictæ Sedis consensu, & beneplacito factam exigi, multoque minus ullam personam Ecclesiasticam, sive secularium, sive Regularem ad forum laicale trahi, & ab eo vel a quocumque alio, quam Ecclesiastico Tribunali judicari, & puniri permittant, omnibus vero, & singulis aliis ejusdem Regni personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quam Regularibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis, & excommunicationis majoris, & privationis Dignitatum, officiorum, munerum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quacumque in posterum quomodolibet obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrendis poenis districte prohibemus, & interdiciamus, ne prædictorum Decretorum, Ordinationum, Constitutionum, & Taxæ vigore quidquam etiam minimum quovis modo, etiam subsidii, vel subventionis titulo, aut vexationum, & molestiarum sibi illatarum, vel inferendarum redemptionis prætextu solvere, aut solvi facere, vel ad solutionem alicujus ex prædictis oneribus, impositionibus, & gabellis, nisi illa prius nostra, & dictæ Sedis auctoritate approbata, & confirmata fuerint, concurrere, multoque minus dictæ generalis confederationis Sandominæ, aut cujusvis alterius laicalis Tribunalis dicti Regni foro se se subijcere audeant quovis modo, seu præsumant.

Censuræ, in quas incidunt Violatores jurium Ecclesiæ Romanæ, Pontifici reservantur.

§. 4. Cæterum cum notorii, & explorati juris sit, eos omnes, qui supradicta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones ediderunt, & promulgaverunt, ac dictam Taxam formaverunt, prædictaque onera, impositiones, & Gabellas exigi fecerunt, vel procuraverunt, ac dictas personas Ecclesiasticas ad forum laicale traxerunt, vel trahere tentaverunt, hæcque, vel eorum aliqua executioni mandaverunt, vel ut mandarentur ordinaverunt, necnon illorum fautores, adherentes, consultores, & defensores, atque illa, vel in eorum sequelam, &

executionem gesta approbantes quocumque tandem gradu, seu dignitate quantumcumque sublimi præfulgeant, censuras omnes, & poenas Ecclesiasticas a Sacris Canonibus, generalium Conciliorum Decretis, & Apostolicis Constitutionibus, ac præsertim literis die Cænæ Domini singulis annis legi, & promulgari solitis inflictas damnabiliter eo ipso incurrisse: Notum similiter omnibus esse volumus illis a censuris, & poenis hujusmodi, etiam postquam dicta Decreta, Ordinationes, & Constitutiones, aliaque præmissa revocaverint, ac alias debitam, & condignam Ecclesiæ satisfactionem præstiterint, non nisi a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constitutos, imo nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, atque cum reincidentia eo ipso, quo convalescerint, absolvi, & liberari posse.

§. 5. Decernentes etiam easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentiam, & dignitatis existant, & alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentibus emanarint sufficienter adductæ, verificatæ, & iustificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuumque mentionem requirente defectu impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas apercitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel imperari, seu imperato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcussè observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminentiam, & potestatem fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis, etiam quacumque Ecclesiasticæ, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualifi-

Clausula.

catis, ac specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua mentio ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inferrentur, iisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac plenissime, & amplissime derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII Jul. MDCCXI. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CXI.

Confirmantur Statuta Academiæ Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Bononiæ institutæ, & Clementina nomine insignitæ.

Const. ed. 1702. Jun. 28. P. 2. confirmata fuere additiones ad Statuta Universitatis Fabrorum Ferrariorum de Urbe. Et Const. ed. 1715. Jun. 12. P. 15. confirmantur Statuta Academiæ Scientiarum in Civit. Bononien.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 8. Oct. 1711. An. 11.

Exordium.

Militantis Ecclesiæ regimini divina dispositione præfidentes, ac publicæ utilitatis curam gerentes illa, quæ pro excitandis, promovendisque laudabilium Artium studiis, provide constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Reformatores status libertatis Civitatis Bononien. quod ipsi in eadem Civitate, quæ antehac eximius, & celeberrimis Pictoribus floruit, & adhuc de præsentibus floret, Accademiam Pictorum, Sculptorum, & Architectorum sub auspiciis nostris erigi, ac pro felici illius directione, atque gubernio nonnulla statuta confici, ac in unum volumen redigi curarunt, tenoris, qui sequitur, videlicet--

Statuta prædicta.

Esti jampridem Bononiæ constituta fuerit Societas Pictorum cum quibusdam regulis, ob eorum tamen Pietatem, professionis excellentiam

Quantunque in altri tempi, ravvisato per indecoroso alla Professione della Pittura lo stare mescolata frà l'Arti mecaniche di questa Città, fosse con l'Autorità maggiore dell' Eminentissimo Legato, e dell' Illustrissimo Senato di Bologna quella a distinzione dell' altre Università qualificata col nome specioso di Compagnia di Pittori, e stabilita con Regole, & Leggi onestissime, e prudentissime compilate, ed approvate in un piccolo volume fino dell' Anno 1602. 20.

Aprile sotto nome de' Statuti de' Pittori; perchè nondimeno gli stimoli della virtù non lasciano mai in pace gl' animi generosi nella sfera del mediocre, o mezzano intendimento, concitandoli sempre a carriere più vigorose, ed a più elevati avvanzamenti: così mercè delle fatiche virtuose di tanti Scrittori si riconoscono a' nostri Secoli arricchite l'Arti liberali di tante nobili notizie, di cui l'antichità visse lungo tempo digiuna, e ne sospirò l'acquisto. Fra queste non fuori di proposito al parere di Tiraquello de Nobilitate Cap. 34. num. 2. può ascriversi la Professione nobilissima della Pittura, come consistente più nell' Opra dell' Ingegno, e nella nobiltà dell' Idee, che forma l'intelletto, che nella fatica della mano, e nel materiale de' colori; di modo che non hanno idegnato gl' Imperadori nel corpo delle Leggi Civili con pubbliche sanzioni privilegiando li Pittori più Eccellenti della Pesi personali, parificarli agl' istessi Protomedici della Casa Augustale, come ci mostra il Teso nella Legge *Archiatros Cod. de metatis, & Epidem. lib. 12.* Impulsi, che hanno promosso gli spiriti di più virtuosi Professori della Pittura, della Scultura, e del disegno a supplicare l' Illustrissimo Senato d'assistenza all' erezione d'una nobile Accademia da intitolarsi del disegno ad imitazione delle tanto providamente erette, e gloriosamente avanzate in altre Città primarie dell' Italia, e dell' Europa, e particolarmente, nella Patria universale di Roma, ove non isdegnava la Santità coronata vedere questa nobilissima virtù accompagnata ogn' anno da gloriosi trionfi in Campidoglio, intesi sempre a quei nobilissimi vantaggi degl' animi inclinati alla virtù, che sogliono partorirsi dalle Accademie ben dimostrati dal Padre Andrea Mendo de jure Academico *lib. 1. quest. 10. ad quest. 8.* ed in parte accennati dal Segretario di Milano Francesco Saldarini *Vesp. 11. num. 17. & seq.* Ha riconosciuto con somma contentezza l' Illustrissimo Senato questi spiriti generosi ne' proprj Cittadini, e volentieri per eccitamento maggiore a così pregiabile virtù, e per il decoroso mantenimento di sì riguardevole Università, e concorso, e con l'Opera, e con gl' assegnamenti burfali a tanto lodevole Istituzione, umiliando, massime in questa parte ancora i proprj voleri agl' altri sentimenti della Santità Regnante di nostro Signore Clemente XI. Principe supremo, che si degna intitolare questa virtuosa adunanza col gloriosissimo nome proprio di *Accademia Clementina*, e di qualificarla della sua clementissima approvazione, quale per più perenne durabilità, e per più felice incamminamento a gloria del Signore Iddio, e della Beata Protettrice infrascritta sotto li felicissimi auspici della Santa Sede, e dell' Eminentissimo Cardinale Legato diretta dal governo, e Protezione dell' Illustrissimo Senato, si è creduto doverli regolare colli seguenti Capitoli, quali come statuti formali d'essa Accademia, si sono prefissi, e stabiliti, e rispettivamente accettati col contento, ed autorità dell' Eminentissimo, e Reverendissimo Signor Cardinale Legato, e del Senato sudetto.

E prima, perchè ciò, che non ha per principio il Cielo, non può dirsi nè saldo, nè durabile in Terra, si elegge, ed invoca per Protettrice, ed avvocata di questa Accademia del Disegno una Concittadina Pittrice la Beata Catarina de Vigri, il cui glorioso Deposito si adora in questa Città, siccome per Protettore in Terra, secondo la richiesta fatta nel Memoriale posto da' Promotori di questa Accademia, farà l' Illustrissimo Senato medemo, alla giudicatura di cui nella Persona dell' Illustrissimo Signor Confaloniere *pro tempore* dovrà sempre restare commessa la sudetta Accademia, come una delle Università Secolari di questa Città.

etiam, Accademia Clementina nuncupata; opem ferente benemerita erecta est adinstar aliarum in pluribus Europæ Urbibus fundatarum, cum propriis Statutis a Card. Legato, & Senatu approbatis.

Dell' Aggregazione de' Sig. Accademici.

